



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV. Vtrum objectum fidei sit necessariò verum, ita ut fidei falsum
subesse non possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

recedit; & hoc modo est aliquid simplex & incomplexum; & ex parte credentis; & hoc modo est aliquid complexum per modum enunciabilis: quia cognitio intellectus nostri est per compositionem & divisionem, seu, quod in idem recipitur per affirmationem & negationem; gratia autem, qualis est fides, non destruit, sed potius pertinet naturam. Hæc doctrina D. Thomæ est omnino certa, & circa illam nulla se offert celebris difficultas. Unde sit

ARTICVLVS IV.

Primum obiectum fidei sit necessario verum, ita ut falsum sub eise non possit?

A Duplici capite concipi potest, quod fidei, cuiusque obiecto, falsum subesse possit: primum ex parte Dei dicentis & revelantis, si videlicet posset mentiri, & aliquid falsum nobis ut verum proponere: secundo ex parte hominis credentis, si minime posset fide divina credere aliquid esse verum & revelatum à Deo, quod tamen esset falsum, & ab eo non revelatum, live si posset uti fide divina ad elicendum assensum falsum & erroneum. Unde ad plenam & perfectam propositæ difficultatis resolutionem, hæc duo paragraphis sequentibus breviter examinanda & discutienda sunt.

§. I.

Prima difficultas resolvitur, & Deum nec per se, nec per alium mentiri posse, subindeque nec ex Deo dicente, fidei falsum subesse, demonstratur.

Olim Priscillianistæ, sic dicti à Prisciliano Episcopo Abulensi, eorum Anselmano blasphemantes dixerunt Deum esse authorem falsitatis & mendacij: ut inde colligerent licitum esse nobis mentiri, & mendacium firmare juramento, propter servandum secretum. Unde hunc versum inter se dicere solebant.

Iura, & perjuræ secretum prodere noli.

Inter Catholicos autem aliqui affirmarunt, quod licet Deus de potentia ordinaria non possit mendacium dicere, bene tamen de potentia absoluta, si non per se, saltem per alium. Sic docent Holcor, Athanasius, & Gabriel, relati à Banne hic art. 3. dub. 1. Quam sententiam, ut apertam blasphemiam, & manifestum errorem, alij Theologi rejiciunt & detestantur, Quare

Dico primo, Deum, etiam de potentia sua absoluta, nec per se nec per alium mentiri posse; subindeque nec ex Deo dicente fidei falsum subesse.

Probatur primò ex Scriptura, quæ non minus remouet à Deo mendacium, quam mutabilitatem, cum sic ait Numer. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur*: Atqui mutatio repugnat Deo absolute: Ergo & mendacium. Item ibi Scriptura non quod de facto contingit affirmat (sunt enim aliqui homines, qui nunquam de facto mentiti sunt, vt B. Virgo) sed describitur dei, & hominis natura, quod hic ad mendacium est inclinatus, & sæpius mentitur; Deus autem nec mentitur, nec mentiri potest: quod nulli puro homini convenit,

Confirmatur ex Apostolo ad Hebræos 6. ubi sic ait: *Volem Deus abundantius ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iuramentum, ut*

per duas res immobiles, (scilicet promissionem, & iuramentum) quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus. Ubi docet Deum ex abundantia, id est sine necessitate, addidisse iuramentum promissioni suæ, ut ostenderet ejus immobilitatem: quippe quia promissio divina per se sola immobilis est, estque omnino impossibile mentiri Deum, siue promittendo solum, siue jurando: ita ut tam promissio quam iuramentum sint duæ res immobiles, quibus singulis impossibile est Deum mentiri. Loquitur autem de impossibilitate absoluta, quia alioquin non haberemus firmissimum solatium, seu fortissimam spem: possemus enim dubitare num Deus esset usus potentia sua absoluta, si de potentia absoluta mentiri posset, ut postea dicemus.

Probatur secundo ex SS. Patribus, qui docent tantum esse impossibile Deum mentiri, quam Deum non esse, aut non esse omnipotentem: Sed absolute impossibile est, Deum non esse Deum, vel non esse omnipotentem: Ergo & illum mentiri. Minor patet: Major probatur ex Athanasio lib. de Incarn. Verbi, ubi asserit *Aburdum esse dicere, Deum posse mentiri* si enim dixit quod perituri sumus, non esset Deus, si non perissemus. Et

Anselmus lib. 1. c. 2. ad Deum homo cap. 12. *Non sequitur (inquit) si Deus vult mentiri, justum esse mentiri, sed potius Deum illum non esse.* Augustinus etiam lib. 1. de Symbolo cap. 1. hæc scribit: *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.* Quam multa non potest, & omnipotens est & ideo est omnipotens, quia non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens. Unde egregie Ambrosius Epist. 37. *Impossibile istud (inquit) non infirmitatis, sed virtutis est, & maiestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* Similiter D. Thomas 2. ad Thimoth. 2. lect. 2. super verbis illa Apostoli. *Ille fidelis est, negare seipsum non potest*: hæc scribit: *Ergo Deus non est omnipotens.* Cui objectioni sic respondet: *Respondeo ex hoc est omnipotens, quod seipsum negare non potest: posse enim deficere, magis pertinet ad impotentiam; quia quid aliquid deficiat à suo esse, est per debilitatem virtutis propriæ: Christum autem negare seipsum, est deficere à seipso: hoc ergo ipsum quod non potest negare se, est ratio perfectæ virtutis.* Absurdum ergo & ridiculum est quod dicunt Adversarii, Deum non posse mentiri de potentia ordinaria, bene tamen de absoluta & extraordinaria; cum mentiri, sicut & peccare, non sit effectus sed potius defectus potentia, & Deus (ut inquit S. Doctor) ex hoc sit omnipotens, quod mentiri non potest.

Probatur tertio ratione quam insinuant SS. Patres locis adductis, & D. Thomas hic art. 3. in corp. ubi sic ait: *Sub veritate prima non potest esse falsum, sicut neque sub ente non ens, nec malum sub bonitate.* Ex quibus verbis hoc potest argumentum confici: Deus est prima veritas: Sed repugnat primam veritatem mentiri; cum mendacium sit deviatio à veritate, & prima veritas à veritate deviare nequeat, alioquin deficeret à se ipsa, & sic non esset prima veritas & indeficiens: Ergo impossibile est Deum mentiri, etiam de absoluta potentia.

Confirmatur: Si Deus quacumque potentia mentiri

mentiri posset, non esset summa veracitas; sicut non esset summa bonitas, si quicumque potentia peccare posset, & male agere; major enim esset illa veritas & bonitas, quae nulla potentia posset à vero & à recto aberrare: talem verò & tantam veracitatem ac bonitatem non esse possibilem, aut non esse re ipsa in Deo, ineptum est, ac Deo injuriosum asserere; cum Deus sit id quo nihil melius

88 & perfectius excogitari potest. Denique suaderi potest conclusio ex absurdo & inconvenienti, quod sequitur ex adversa sententia: si enim Deus mentiri posset de potentia absoluta, tota fides nostra nutaret; quomodo enim scire possemus, quod Deus tali potestate non fuerit usus, quando mysteria fidei revelavit? Quod si dixerit ipsum revelasse se meritum non fuisse, de hac revelatione eadem currit difficultas, potuisset enim ex suis secretis & occultis judiciis similiter mentiri in eadem revelatione, quae se non mentitum dixisset.

89 Non solum aptem praedictis testimoniis, & rationibus, demonstratur Deum non posse immediate per se ipsum mentiri, sive falsum revelare, sed etiam quod neque per alium id praestare queat: cum enim Deus ipse sit qui loquitur per ministrum, juxta illud 2. Regum 13. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam* & istud Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*: quod Deus utatur ministro ad mentiendum, non obstat quominus mendacium in eum referatur, & ipsi attribatur.

90 Confirmatur: Sicut merè materialiter se habet, quod quis loquatur verbis vel scriptura, subindeque obligatio veracitatis eadem omnino est, quocumque modo quis loquatur: ita prorsus materialiter se habet, quod Deus loquatur immediate per se, vel per nuntium suum, cum nuntius sit merum instrumentum, sicut scriptura, vel alia signa.

91 Confirmatur amplius: & non esset omnino impossibile Deum mentiri, etiam per ministros, sequeretur quod nostra fides, quae divina revelationi innititur, non haberet firmum & stabile fundamentum; quia tota ferè Scriptura revelata est nobis ministerio Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, & Evangelistarum: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

92 Adde quod si Deus loquitur ad homines per ministros, v. g. per hominem, vel Angelum, immediate loquitur ad aliquem illorum; non potest enim mediate loqui ad nos, nisi immediate loquatur ad ministrum: Ergo si impossibile est Deum mentiri, aut falsum dicere, loquendo immediate per se ipsum, etiam erit impossibile ipsum mentiri loquendo per alium. Velenim ille idipsum quod ei locutus est Deus referret, aut diceret aliud: si idem referret, mentiente ministro, mentiretur Deus: si verò aliud diceret, solum minister ex se ipso mentiretur, non verò Deus per illum: sicut in humanis, quando servus loquitur aliud ab eo quod dominus ipsi praecepit non mentitur dominus, sed servus.

§. II.

Corollarium notatu dignum.

93 EX dictis inferes, Deum non posse esse causam specialem & directam in nobis assensus falsi & erronei, ut falsus & erroneus est; licet actum illum pro materiali, seu quantum ad entitatem &

A substantiam, causare possit. Ratio patet ex supra dictis: Deus enim tam bene est prima veritas, quam summa bonitas: Sed ex eo quod est summa bonitas, non potest velle & causare aliquid mali sub illa formalitate, etiam in nobis: Ergo etiam ex eo quod est prima veritas, non poterit esse causa directa & specialis in nobis erroris aut falsitatis, sub hac formalitate, licet actum falsum & erroneum pro materiali causare possit. Eadem ratio convincit, Deum non posse alicui habitum erroris, aut falsae opinionis infundere: cum enim talis habitus per se, & directe in errorem vel falsam opinionem inclinet, Deus illum infundendo, per eum directe inclinet intellectum in errorem, vel falsam opinionem, quod à summa bonitate & prima veritate alienissimum est. Ex quo etiam principio in tractatu de peccatis probari solet, habitum vitiosum non posse à Deo immediate infundi; alioquin in actum pravam & vitiosum, voluntatem vel appetitum inclineret.

Dices primo: Habitus erroris producit actibus nostris, ad quos Deus concurrat: Ergo etiam sine nostris actibus Deus posset immediate illum causare.

Sed nego Consequentiam: nam etiam habitus vitij producit actibus nostris, ad quos Deus C concurrat, & tamen non potest illum immediate & sine nostris actibus causare in nobis; quia ad actus vitij non concurrat, quatenus mali & vitiosi sunt, sed tantum materialiter & quoad substantiam, quare eodem modo solum concurrat ad productionem habitus vitiosi, qui ex illis actibus resultat. Idem cum proportionem de habitu erroris dicendum est: nam etiam ad actus erroris, qui sunt in nobis, non concurrat Deus directe & formaliter ut erroris sunt, sed tantum materialiter & quoad substantiam.

Dices secundo: Deus in scriptura proficitur, se improbos in fraudem & errorem inducere: Ergo potest esse causa assensus falsi & erronei in nobis, vel habitum erroris, aut falsae opinionis nobis infundere, Consequentia patet: Antecedens probatur ex variis Scripturae testimoniis: dicitur enim Job 12. *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit eos sicut ebrios*. Et 1. ad Thelalon 2. *Ideo mittit illis (Deus) operationem erroris, ut credant mendacio*. Et Regum. 22. *Deus Dominum spirituum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum*: ibidemque ait Dominus ad spiritum mendacij, *Decipies & praevalabis; egredere, & fac ita*. Denique Ezechiel. 14. Deus ait: *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum*.

Respondeo negando Antecedens. Ad cujus probationem dico, regulam generalem esse apud Theologos, & scripturae Interpretes, quod quotiescumque in Sacra Scriptura dicitur quod Deus velit, praeceptat, aut faciat aliquid mali culpa, vel erroris, vel falsitatis, hoc semper debet intelligi de permissione, non autem de volitione, aut causalitate positiva: hoc enim in Sacra Scriptura satis usitatum est ut praeceptum & permittere pro eodem usurpentur. Sic quando Christus dixit Iudae, volenti illum tradere, *Quod facis, fac ceteris*, non illi immane sacrilegium proditio- nis & venditionis praecepit, sed duntaxat permisit, ut docet D. Thomas super illum locum; & Augustinus tract 61. in Ioan. Sic etiam Marci 10. dixerunt Pharisei Christo Domino: *Moses permisit libellum repudiij scribere, & Christus respondit: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum*

Esau, non fuisse mendacium, sed mysterium. Similia habet D. Thomas loco supra citato, ubi ait *In Scriptura sacra inducuntur aliquorum gesta, quasi ex mpla perfecte virtutis, de quibus non est estimandum, eos fuisse mentitos: si que tamen in eorum dictis appareant, que mendacia videantur, intelligendum est, ea figuratim & prophetice dicta fuisse.* Et 3. p. quest. 55. art. 4. ad 1. *Non omne* (inquit) *quod fingimus, mendacium est, sed quando illud fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium, cum autem fictio nostra referatur in aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis: alioquin omnia que a sapientibus viris, vel etiam a Domino, figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur.... sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio, ad aliquam rem significandam.*

§. IV.

Solvitur argumentum ex ratione petiti.

102. **C**ontra eandem conclusionem potest hoc argumentum obijci. Licet Deus sit beatitudo & vita per essentiam, potest tamen in natura assumpta pati, & mori: Ergo pariter, licet sit prima veritas in dicendo, nihilominus in natura assumpta mentiri & fallere poterit.
103. Sed negatur consequentia & paritas: magnum enim inter falsitatem & mendacium ex una parte, & passibilitatem ac mortem ex alia, discrimen intercedit: nam ut ait D. Thomas 3. p. quest. 1. art. 1. ad 3. omnes alie rationes, quibus creatura a creatore differt, & a Dei sapientia instituta sunt, & ad Deum tanquam ad ultimum finem ordinantur: at verò falsitas, mendacium, & culpa, non sunt instituta a Dei sapientia, nec ad Deum ut ad primam veritatem, vel ad ultimum finem ordinantur, sed potius ab illo avertunt: unde impossibile est divinum suppositum illas assumere, etiam in aliena natura.
104. Explicatur & magis illustratur hæc responsio: Falsitas & malitia sunt mala naturæ intellectualis, ut talis est, nec bonum finem ordinari possunt, subindeque nec induere rationem boni; sed potius avertunt a Deo, qui est prima veritas, & summa bonitas, & illi directe opponuntur, ac proinde privant bono divino: infirmitates autem puta dolor, & cruciatus, ac ipsa mors, nec a Deo avertunt, aut illo privant, nec sunt mala naturæ intellectualis, quæ talis, sed sunt particularia quædam mala naturæ sentientis, quæ ad bonum finem ordinari possunt. Unde licet deus possit pati, mori in natura assumpta, non tamen mentiri, aut peccare; maxime, quia cum actiones præsertim morales, sint suppositorum, si Deus in natura assumpta mentiretur, vel peccaret, tale mendacium, vel peccatum, divino supposito tribueretur.
105. **I**ntabis: Amphibologia, seu æquivocatio, est quædam species mendacij, cum tamen bene ordinetur ad decipiendum, ac mendacium: Sed Christus interdum amphibologiâ, & æquivocatione usus est: Ergo Verbum divinum in natura assumpta etiam mentiri potest. Major patet: Minor probatur primò ex illo Ioan. 7. ubi Christus rogantibus consanguineis ut ascenderet templum, respondit: *Ego non ascendam* Quam responsionem fuisse ambiguum, ex eo constat, quod cum nihilominus postea ascenderit, non manifestè, sed occultè, necessario fatendum est in illis verbis, *Non ascendam*, alium sensum à Christo fuisse intem-

Atum, quàm illum, qui ab auditoribus eius existimabatur: putabant enim ipsum negare absolute quod ascenderet, ipse verò non negabat absolute se assensurum, sed cum addito, licet verbis non expreso, scilicet publice & palam. Secundo eadem Minor suadet ex Marci. cap. 13. ubi Christus interrogatus à discipulis de die iudicii, respondet: *De die autem illo, vel hora, nemo scit neque Angeli in celo, neque Filius hominis.* Quæ responsio vera esse non potuit, nisi intelligeretur à Christo in sensu diverso ab eo quem eius verba præ se ferunt: unde expositores dicunt communiter, sensum illorum verborum, juxta Christi intentionem, fuisse, nescire Filium hominis ut dicat, & revelet. Pro solutione huius instantiæ.

Notandum est, duobus modis posse aliquem uti amphibologiâ, seu æquivocatione: Primò formaliter, quando scilicet non adsunt aliqua circumstantiæ, ex quibus audiens devenire possit in cognitionem significationis, vel sensus verborum à loquente intenti: Secundo materialiter, quando nimirum adsunt aliqua circumstantiæ, quæ facile manifestare possint, in quem sensum vox, vel propositio amphibologica, usurpetur à dicente, ita ut vir prudens possit facile hoc agnoscere, licet audiens, ob negligentiam considerationis circumstantiarum illarum, mentem loquentis non intelligat. Hoc posito.

Ad instantiam respondeo, quod amphibologia, seu æquivocatio formalis, est quædam species mendacij, non verò illa quæ est solum materialis: licet enim ille qui amphibologiâ materiali utitur, proferat verba in sensu non communi, sed particulari, eo ipso tamen quod adsint circumstantiæ, quæ possunt sensum illum particularem audiendi indicare; quod ille in alio sensu verba illa accipiat, non provenit ex loquente, nec ex æquivocatione, tanquam ex causa per se, sed solum ex negligentia auditoris, qui noluit vexari in consideratione circumstantiarum, quæ poterant illi indicare verum sensum verborum à loquente intentum. Unde ad primum exemplum de Christo, dico cum in illa responsione, quæ negavit consanguineis se assensurum, usum fuisse æquivocatione & amphibologiâ non formali, sed materialis: ex circumstantia enim petitionis eorum, quæ consistebat in hoc quod palam ascenderet templum, ut in eo manifestaret se mundo, poterant, si attendissent, sufficienter intelligere, in eodem sensu Christum respondisse, se non assensurum, nempe palam & publice, sed tantum in occulto. Vel ut ait Toletus, particula *Non*, sumitur pro *Nondum*, juxta id quod mox additur: *Tempus meum nondum est impletum*, id est, nondum venit tempus meum ascendendi.

E Similiter ad secundum dico, Christum in illa responsione, quæ negavit Apostolis se diem iudicii scire, æquivocatione tantum materiali usum fuisse: ex circumstantia enim personæ, hanc responsionem proferentis, quæ eos docuerat, omnia quæ pater habet, filium similiter habere, & aliorum plurium, quæ ipsis ab ea revelata fuerant, poterant sufficienter intelligere, si voluissent attendere, cum non negare absolute se scire diem iudicii, sed solum cum aliqua restrictione, verbis quidem non expressa, sed tantum ab eo subintellecta, & manifestabili per circumstantiam personæ proferentis.

§. V.

Alia difficultas resolvitur. & per accidens, sive ex parte credentis, non posse fidei subesse falsum, demonstratur.

Dico secundo, fidei non posse subesse falsum, etiam per accidens, sive ex parte credentis.

109. Probatur: Ut fidei per accidens, sive ex parte credentis, falsum subesse posset, deberet homo posse illud credere, fide non tantum humana, sed etiam divina: Atqui licet ex ignorantia invincibili putet illud esse verum, & a Deo revelatum, non tamen potest ipsum credere fide divina, sed tantum humana. Ergo non potest, etiam per accidens, sive ex parte credentis, fidei subesse falsum. Major constat: Minor vero probatur. Non potest quis uti fide divina ad eliciendum assensum falsum & erroneum: Sed si posset credere fide divina aliquid falsum, eo ipso uteretur tali fide ad eliciendum assensum falsum & erroneum: Ergo non potest homo aliquid falsum credere fide divina. Minor constat: Etus enim quo quis credit aliquid falsum, licet existimatum verum, est assensus falsus & erroneus. Major vero probatur primo ex D. Thoma hic art. 3. ubi sic discutitur: *Nihil subest alicui potentia vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali objecti: sicut color videri non potest, nisi per lucem, aut sonus audiri non potest, nisi per medium demonstrativum. Dicitur est autem quod ratio formalis obiecti fidei est veritas prima: unde nihil potest credere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest: sicut nec verum sub ente, nec malum sub bonitate.* Quibus verbis S. Doctor hanc rationem insinuat: Quidquid attingit habitus fidei, debet necessarii cadere sub eius ratione formali sub qua: Sed nullum falsum potest cadere sub ratione formali sub qua fidei, nimirum divina revelatione; cum Deus non possit mentiri, nec aliquid falsum revelare, ut §. 1. ostendimus: Ergo habitus fidei non potest aliquid falsum attingere, nec proinde aliquis potest uti fide ad eliciendum assensum falsum & erroneum.

110. Secundo probatur eadem Major: Si fides esset principium assensus falsi & erronei, Deus esset causa falsitatis & erroris, saltem mediater: non minus quam si lumen naturale, & habitus primorum principiorum, essent causa assensus falsi & erronei, talis error & falsitas in Deum ut auctorem reducerentur: Sed hoc non est admittendum: Ergo nec illud.

111. Dices: ars sophistica est a Deo: Sed illa inclinatur ad falsum, & ad decipiendum: Ergo aliquis habitus ad falsum inclinans, potest esse a Deo.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: ars enim sophistica solum docet intelligere & cavere fallacias, non vero ad fallendum inclinatur: imò nulla potest dari ars, quæ ad mentiendum, vel decipiendum inclinet: quia ut docet S. Thomas infra quæst. 95 art. 1. ad 2. & quæst. 169, art. 1. ad 4. post D. Chrysostomum homil. 56. in Matt. non sunt veræ artes dicende: quæ non sunt de bono & necessario objecto.

112. Probatur tertio: Virtus intellectualis non potest inclinare ad falsum assensum: Sed fides est virtus intellectualis: Ergo ad falsum assensum inclinare nequit, nec in ipsum influere. Minor est certa: Major vero suadetur. Omnis virtus debet

Tom. IV.

A esse perfectio suæ potentie in ordine ad suum obiectum; sicut virtus moralis, quæ est in voluntate, vel appetitu, ipsum perficit ad bonum attingendum: Sed obiectum intellectus est verum: Ergo omnis virtus intellectualis perficit intellectum in ordine ad verum, subindeque ad falsum inclinare non potest. Unde S. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 3. ait: *Soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum.* Ex quo ibidem infert, opinionem & suspensionem non esse virtutes intellectuales, quia indifferenter se habent ad verum vel falsum.

B Quarto: Lumen fidei est singularis quedam participatio divini luminis, & quasi participatio luminis beatifici, & ut ait D. Bernardus, *Voluntaria quadam & certa prælibatio nondum propagata veritatis*: Ergo sicut lumen divinum, & beatificum, ad verum sic determinata sunt ut falsum assensum producere nequeant, nec ad ipsum intellectum inclinare, ita & lumen fidei.

113. Denique probatur eadem Major: Si lumen fidei posset esse causa assensus falsi, non esset consentaneum fini quæ a Deo intenditur in eius infusione, scilicet ut homines eo mediante summa cum fiducia & certitudine captiverent intellectum in obsequium Dei: posset enim homo aliquando in tali captivitate & obsequio decipi, credendo verum id quod falsum est subindeque non teneretur summam in eo habere fiduciam: Ergo &c.

§. VI.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo: Potest aliquis elicere actum virtutis moralis, vel Theologicæ, circa illud quod prudenter existimat esse materiam talis virtutis, quamvis de facto non sit eius materia: Ergo etiam potest quis elicere actum fidei divine circa illud, quod prudenter judicat a Deo revelatum esse, licet de facto revelatum non sit, subindeque fidei potest subesse falsum per accidens & ex parte credentis. Consequentia videtur legitima a parietate rationis. Antecedens vero variis exemplis suadetur: Potest enim quis elicere actum misericordie circa pauperem fictum, quæ verum pauperem existimat; & adorare hostiæ, quam prudenter existimat esse consecratam, quamvis ex malitia sacerdotis consecrata non sit. Idem patet in virtutibus Theologicis: nam si aliquis diligat hominem, propter sanctitatem quam in eo esse existimat, tunc actus dilectionis procedit ex vera charitate Theologica, etiam si ille non sit sanctus, sed hypocrita. Item qui existimaret invincibiliter Deum esse videndum oculis corporeis, & hanc visionem speraret ut premium suorum operum, actum spei eliceret, quamvis in re non ita sit.

114. Respondeo concessa Antecedente, negando consequentiam & parietatem: hoc enim inter virtutes quæ sunt in intellectu, & eas quæ resident in appetitu aut voluntate, reperitur discrimen, quod primæ excludunt totaliter falsum, non autem secundæ, ut declarat D. Thomas hic art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum quod quia verum est bonum intellectus, non autem est bonum appetitivæ virtutis, ideo omnes virtutes quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falsum; quia de ratione virtutis est quod se habeat solum ad bonum. Virtutes autem perficientes partem appetitivam, non excludunt totaliter falsum: potest enim aliquis*

Ecce ii

secun-

secundum iustitiam aut temperantiam agere, habens aliquam falsam opinionem de eo circa quod agit: & ita cum fides perficiat intellectum, spes autem & charitas appetitivam partem, non est similis ratio de eis.

Circa quam doctrinam Cajetanus hæc Novitio Theologo suggerit, ut intelligat quomodo falsa opinio itare possit cum operatione iustitiæ, & aliarum virtutum moralium: Animadvertet (inquit) quod contingit aliquem falso credere absque culpa sua, aliquem sibi esse debitorem, vel e converso, & operari ad illum secundum iustitiam; & similiter credere se non indigere cibo aut potu, & operari secundum temperantiam, & sic de alijs. Et videbis virtutes appetitivas non totaliter excludere falsam opinionem de eo circa quod agitur, ut in littera dicitur. Ex quibus habes manifestam differentiam quæ inter virtutes morales & intellectuales reperitur: illæ enim non versantur circa verum, sed circa bonum, & consequenter non respiciunt per se & formaliter veritatem, & possunt secum admittre per accidens aliquam falsitatem; istæ verò cum perficiant intellectum in ordine ad cognitionem veri, nullam etiam per accidens admittunt falsitatem. Unde D. Thomas §. præcedenti citatus, ait quod soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum. Sicut ergo, ut aliquid cognoscatur per intelligentiam, aut scientiam, non sufficit ut iudicetur esse sic cognoscibile & verum, sed requiritur ut revera ita cognoscibile & verum sit: ita ad hoc ut aliquid fide divinâ credatur, non satis est quod prudenter existimetur à Deo revelatum esse, sed præterea requiritur ut sit revera à Deo revelatum, atque adeo verum.

118.

Dicitur: Prudentia est virtus intellectualis, & tamen potest ferri in falsum; prudenter enim existimare possum pecunias Joannis esse meas, & ut tares elargiri pauperibus: item prudentia dicitur adorandam esse hostiam quam elevat sacerdos, & tamen hoc iudicium potest esse falsum; nam potest contingere, ut revera non sit consecrata, aut propter defectum potestatis, si qui illam elevat non est vere baptizatus, aut sacerdos, vel propter defectum intentionis, quia noluit eam consecrare: Ergo licet fides sit virtus intellectualis, ei tamen per accidens, & ex parte credentis, potest subesse falsum, credendo aliquid esse revelatum à Deo, licet de facto revelatum non sit.

119.

Respondeo quod licet prudentia possit subesse falsum, speculative, non tamen falsum practice, quia est virtus intellectualis practica: unde licet iudicium illud speculativum, quo iudicio pecunias non meas, esse meas, vel hostiam esse consecratam, quæ revera consecrata non est, sit falsum; istud tamen iudicium practicum & prudentiale, quo iudicio me posse facere eleemosynam ex pecuniis, quas prudenter iudico esse meas, vel adorare hostiam, quam prudenter iudico esse consecratam, practice verum est; unde potest esse regulariter operationis: fides verò, ut infra dicemus, simul practica & speculativa est, & sic ei nec practice, nec speculative falsum subesse potest.

Objicies secundò: Si Episcopi aliqui provinciam proponerent aliquid tanquam de fide divinâ, quod tamen non esset de fide, tunc quilibet de populo, præsertim rustici, teneretur illud credere. Sed non fide duntaxat humanâ, quandoquidem ipsis proponeretur credibile fide divinâ: ergo fides

divinâ, & per consequens fieri potest, quod fides divina per accidens, & supposita aliqua falsâ existimatione, in falsum inclinet.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: in illo enim casu rustici non tenerentur credere fide divinâ quæ ipsis proponerent Episcopi ut fide divinâ credenda, sed fide duntaxat humanâ, quia si essent falsa, non essent credibilia fide divinâ, sed tantum humanâ.

Si autem infes, & dicas, quod si illi rustici dissentirent tali propositioni, à Prælati & Doctoribus Ecclesiæ propositæ, absolute essent dicendi hæretici: Ergo quando eliciunt assensum circa illam, talis assensus est fidei infusæ; siquidem dissensus hæreticus directe & immediate assensui fidei infusæ opponitur.

Respondeo quod rustici illi, tali propositioni dissentientes, non essent hæretici formaliter, sed tantum virtualiter & argutivè: quia existimantes illam esse veram, & à Deo revelatam, atque ut talem ab Ecclesiâ propositam, eo ipso quod illi dissentirent, essent ita dispositi quantum ad affectum, ut divino testimonio, & Ecclesiæ propositioni, nollent præbere assensum, subindeque si non in re saltem quantum ad affectum, censerentur hæretici.

Objicies tertio: Fides antiquorum fuit quod Christus esset nasciturus, & hæc fides duravit in multis, ut quæ ad prædicationem Evangelij: Sed Christo jam nato, etiam ante Evangelij promulgationem, falsum erat Christum nasciturum. Ergo fidei potest subesse falsum per accidens, & ex parte credentis. Item unum de pertinentibus ad fidem est, ut credamus sub sacramento altaris verum Christi corpus contineri: Sed contingere potest, quando non rectè consecratur, quod non sit ibi verum corpus Christi, sed solum panis: Ergo fides per accidens ad falsum ferri & extendi potest.

Ad primam instantiam respondet S. Thomas hic art. 3. ad 3. quod hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoquidem nasci: sed illa determinatio temperis in qua describatur, non erit ex fide, sed ex conjectura humana; possibile est enim ex conjectura humana hominem fidelem falsum aliquid assumere, sed quod ex fide falsum existimet, hoc est impossibile. Unde sicut si quis continuaret actum, quo vult dare eleemosynam, ut subleget miseriam pauperis, & postea, perseverante hoc proposito, affectaret simul inanem gloriam, talis actus, quantum ad substantiam semper procederet à misericordia, modus tamen eius esset à vana gloria, & inordinato affectu, ita pariter, si Iudæus ante nativitatem Christi haberet hunc actum, Christus nascetur, illumque post Christi nativitatem continuaret, talis assensus post Christi nativitatem, esset quidem à fide, quantum ad substantiam, sed modus eius ab alio habitu petendus esset, scilicet ab humana opinione & conjecturis, quibus potest subesse falsum.

Ad secundam respondet idem S. Doctor solut. ad 4. quod fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando rectè fuerit consecratum: unde si non sit rectè consecratum, fides non suberit propter hoc falsum.

Circa quam doctrinam bene monet Cajetanus ut diligenter advertas, ne dum audis quod fides non respicit has vel illas species, sed hoc solum quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibili.

126. sensibilibus, incidas in errorem dicentium, quod hostia quæ adoranda offertur in Ecclesia, sub conditione solum, nempe si est verè consecrata, non verò absolute, adoranda sit: ad hoc enim ut fidelis eam absolute adorare teneatur, quod verè quod habeat certitudinem moralem, quod verè consecrata sit, talis enim certitudo sufficit ad iudicium prudentiale, quod est proxima regula dirigens in suis operationibus omnes virtutes morales, inter quas præcipuum tenet locum religio.

127. Obijcies quarto: Potest eri syllogismus in quo una ex præmissis sit vera, & de fide, & altera falsa, subindeque conclusio etiam sit falsa, ut si quis Eutyechianus argumentaretur sic: *In quocumque est unica hypostasis, est unica natura: atqui in Christo est unica hypostasis: ergo & unica natura*: Sed tunc assensus conclusionis falsæ proficitur tanquam effectus ab assensu præmissarum: Ergo cum una ex illis sit de fide, assensus fidei, saltem ut cum alio actu falso conjunctus, in falsum influere & inclinare potest.

128. Propter hoc argumentum Magister Victoria in manuscriptis, super art. 3. hujus questionis docet, quod sicut Deus, qui est summa bonitas, causat defectus naturales; v. g. claudicationem tibie, mediatè & indirectè, id est mediâ causâ secundâ deficiente; ita fides, sive assensus illius, mediatè, & indirectè, mediante scilicet alio actu falso, cui potest esse conjunctus, in actum falsum influere potest.

129. Sed hæc doctrina displicet aliis Thomistis, & merito: Nam nulla causa potest influere in aliquem effectum, etiam per accidens, mediatè, aut indirectè, nisi contineatur aliquo modo sub objecto formali causalitatis illius, ut constat inducivè in omni causa. Sed sub objecto formali fidei nullatenus potest contineri actus falsus, ut supra ostendimus: Ergo fides in illum, etiam per accidens, mediatè, aut indirectè, influere nequit.

130. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, exemplo adducto de divina causalitate: nam licet Deus dicatur causa actualitatis & entitatis, cum qua conjungitur defectus, sive naturalis, sive moralis, non tamen dicitur, etiam per accidens, mediatè, aut indirectè, causa defectus naturalis, vel moralis: unde in nullo sensu potest verificari, quod Deus sit causa peccati, quamvis sit causa actus & entitatis peccati; & hoc non alia ratione, nisi quia nullus defectus, sive moralis, sive naturalis, continetur sub objecto formali causalitatis divinæ, ut fusi ostendimus in Tractatu de voluntate Dei. Pariter ergo, si sub objecto formali fidei nullatenus falsum continetur, impossibile erit quod fides in aliquem assensum falsum influat, etiam per accidens, mediatè, vel indirectè. Addo quod cum ex vero semper sequatur verum, ex assensu fidei, qui semper est verus, nunquam potest sequi falsâ conclusio. Unde

131. Respondent secundo Bannez, Serra, & alij ex nostris Thomistis, in prædicto syllogismo propositionem, quæ est de fide, esse quidem causam assensus conclusionis, quantum ad substantiam, sed non quoad modum, seu falsitatem. Sicut (inquiunt) cum aliquis egregius scriptor utitur calamo non bene aptato ad scribendum, scriptio quantum ad substantiam, inscriptorem, ut in causam principalem, modus verò seu deformitas eius, in defectum instrumenti reducitur.

Tom. IV.

A Sed hæc etiam solutio displicet: quia in quolibet syllogismo præmissæ, quæ influunt in conclusionem, eam causant non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad unionem extremitatum, quæ fit in illa ex vi unionis illarum cum medio, quæ in præmissis facta est: Sed veritas vel falsitas conclusionis, consistit in illa unione extremitatum, quæ fit in illa, ex vi unionis illarum cum medio, quæ in præmissis facta est: Ergo si in prædicto syllogismo ambæ præmissæ effectivè influant in conclusionem, eam causant, non solum quantum ad substantiam, sed etiam quoad modum, seu falsitatem quæ in illa reperitur. Unde hac reiectâ solutione,

132. Ad objectionem respondeo, quod in prædicto syllogismo conclusio falsa nullo modo causatur à propositione fidei, sed solum à propositione naturali falsâ, & à mala applicatione intellectus, male detorquentis propositionem veram, & de fide certam, ad conclusionem falsam & erroneam: verum enim per se non tendit nec inclinat nisi in verum, nec nisi veri semen est, & principium, & per accidens est, & contraria ipsius naturam, quæ ad assensum falsum detorqueatur.

133. Dices: Causalitas assensus præmissarum circa assensum conclusionis, in eo solum consistit, quod posito assensu præmissarum, & notitiâ bonæ illationis, necessitetur intellectus ad assensendum conclusioni, saltem specificativè, ita ut nō possit dissentire, stante illo assensu: At hoc totum reperitur in discursu facto ex una propositione fidei: Ergo talis propositio causat, saltem partialiter, assensum conclusionis falsæ, subindeque in falsitatem influat.

134. Respondeo negando Majorem: causalitas enim conclusionis non in eo solum consistit, sed ulterius requirit, ut assensus præmissarum, non solum ex applicatione discurrantis, sed etiam per se sit principium in quo veritas conclusionis ex natura rei contineatur, tanquam in semine naturali, valente per se ad illam elicendam, & vim suam exercente per bonam illationem. At hoc non fit in syllogismo adducto, sed ipsemet discurrans, per malam applicationem assensus veri, est sibi ipsi causa assensus falsi: neque enim eo ducit per se assensus verus, neque in eo continetur virtualiter assensus falsus, ut neque falsâ propositio continetur virtualiter in vera; sed per accidens eo detorqueatur per abusum male applicantis, & male connectentis assensum verum cum alio assensu falso, qui per se ducit ad falsum conclusionem.

ARTICVLVS V.

Vtrum obscuritas pertineat ad rationem formalem fidei divinæ?

135. Divus Thomas ait. 4. huius questionis docet, objectum fidei esse non visum, quia est cognitum per extrinsecam revelationem primæ veritatis. Cuius doctrinæ occasione Theologi quærent in præsenti, quomodo obscuritas, seu ratio non visi, pertineat ad formalem rationem fidei divinæ? Pro cuius intelligentia.

136. Notandum est, quod duplex obscuritas, seu ratio non visi, potest in ipsa fide distingui: altera ex parte objecti formalis, seu mediæ cui innititur, & consistit in eo quod tale medium, tametsi causet

Ee iij